



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Et uidit Deus opera eorum, q[uod] conuersi sunt de uia sua mala &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36521

bere Ethnici, quàm illā particulam diuini uerbi, scilicet legis naturæ, Deus est conditor cœli & terræ, & uerus Deus, id est, bonus & misericors est. Hac tantilla guttula pro nostro mari, hac scintilla pro nostra ingenti luce norunt sic fœlicissime & commodissime uti, ut non mirum si pudeat nos & pœniteat nostri, qui nostra incomparabili abundantia, & opibus amplissimis Verbi Dei uix aliqua ex parte tam commode utimur. Ideo & Christus ipse tantus doctor, Matth. 12. & Iudæis & nobis gentibus hos Niniuitas, qui nostrā ignauiam obiurgent, obicit. Surgent, inquit, Niniuitæ in generatione hac & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ prophætæ, & ecce plus quàm Iona hic. Addit ergo tanto nos excellentius quiddam habere Niniuitis, quàm Christus Iona est maior. Merito tam acriter obiurgamur, qui ne aliquam partem quidem assequimur eius ardoris, nos, qui tam multis promissionibus et minis excitari debebamus, ubi Niniuitæ sine ulla promissione, tantum ad committentis Ionæ uerbū crediderint. Sed quid facias, sic uiuitur, sic est uita: ubi non est copia diuini Verbi, ibi ardentissima est sitis Verbi: ubi abundantia, ibi est stidium & contemptus.

Et uidit Deus opera eorum, &

conuert

conuersi sunt de uia sua mala &c.

Hic hic nunc palàm ebuccinantur opera. Quid hic afferemus? Hic scilicet hypocrite palàm triumphant, sed pedetentim tamen. Agite boni uiri, respicite textum, dicit quidem, Deus respexit opera eorum, id est, placebant Deo opera eorum: sed qualia erāt opera, ipse exponit, Conuertebātur à uijs suis malis. Eiusmodi opera facite & docete, & nō modo feremus ut laudetis hæc opera, sed & nos laudabimus ut egregios fructus fidei. Conuerti à uijs malis non tam leue opus est, nec tuarum uiriū, neq; complectitur in se tantū saccos & ieiunia, sed ueram Dei cognitionem, fidem, id est, amorem Dei & proximi. Quando dicit Deus, Conuertimini à uijs malis, non exigit unum aut alterum opusculū, sed exigit totum hominem, ut sancti simus corpore & spiritu, noua creatura. Deus enim uult totū hominem, non curat dimidiata opera hæc, & mendicantia Elementa mundi, aut ulla externa.

CAP. III.

Et afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est &c.